

Gallia capere non posset. Ille in omnia momenta tuendæ non modo, verum etiam amplificandæ supremæ auctoritatis intentus, nunc ad auram colligendam populi petitionibus favere; nunc Regi invisis tutum accessum atque auxilium præbere; nunc seorsim de iis, quæ in comitiis pertractanda erant, ut sibi magis opportuna vinceret sententia, agitare consilia, cunctaque disponere, ut non tantum Blæsarum oppidi, sed Regis quoque ipsius arbiter existeret. Ferunt in Reginæ parentis conclavi, Rege cum Principibus plerisque ac proceribus versante, cum de domesticis externisque foederibus ac societatibus in comitiis jurejurando dirimendis sermo haberetur, Guisium minime sacramentum se præstaturum enunciasse: si quid deliquerisset, in eum pro meritis Rex animadverteret. Hisce eo magis Henricus commovebatur, quod, ut sibi ab eo potissimum caveret, variis ex partibus monebatur; foederatos de illo a regni administratione amovendo egisse; Lutetiaeque consultum, decretumque afferebatur, ut captum Parisis Guisius perduceret. Hæc præteritarum rerum eventu aucta, ad id consiliī capiendum, quod a necessitate sibi imponi videbatur, Regem impulere. At Guisio contra, Blæsis indicta comitia, conjunctionis diploma id ejus exitium spectare plerique significabant; Lutetiano tumultu verba a Rege publice privatimque saepius in foederis antesignanos prolatæ animo subjiciebant. Verum ille cuncta parvi pendere, nihil ducere, irridere non desinebat, vel nimia sui potentia, vel Regis animi mollitie, omnes casus supergressum arbitratus. Narrant, pridie quam obiret, cum mensæ prandium sumpturus accubuisse, parva sub mappa schedula inventa, qua, ut sibi caveret, infaustumque in ejus caput jactari ludum monebatur; statim calamo atque atramento petito, manu propria hæc verba scripsisse: *Non audebunt: inde scriptum super mensam projecisse.*

Henricus, quod animo conceperat, expleturus, ne fortasse præverteretur, urbis securitati consulere, ad regni gubernatores literas dare, cuncta disponere studebat. Inter corporis custodes quinque ac quadraginta nobiles erant, plerique minores natu liberi, quibus, Gallorum lege, paterna hereditate interdicta, numimi ad clientes obæratosque sibi adjungendos

*Guisio Du-
ci capitis
periculum
per schedu-
lam nun-
ciatur &
ejus respon-
sum.*